


DE USU
ET
SYSTEMATICA DEDUCTIONE
JURIS NATURALIS

ET
ECCLESIASTICI PUBLICI
COMMENTARIOLUM.

Auctore *Jacobo Lallingeo,*
S.S. Theologiae Doctore,

ET IN LYCEO CATHOLICO AUGUSTANO AD S. SALVATOREM
SS. CANONUM PROFESSORE PUBLICO, ORDINARIO.



GANDÆ,
TYPIS A. I. VANDER SCHELDEN, IN PLATEA DICTA ONDERSTRAETE.
M. DCCC. XXIII.

AUCTOR
INSTITUTIONUM
JURIS NATURALIS

ET

ECCLESIASTICI PUBLICI

THEOPHILO DILECTO DISCIPULO CANONICARUM RERUM STUDIOSISSIMO SALUTEM, ALACRITATEM, BONOS PROGRESSUS, DIVINE GRATIÆ UBERTATEM, AC SUAVITATEM.

HABES nunc, Theophile, quas a me frequenter expectisti, institutiones juris naturalis et ecclesiastici publici, quodque incredibili te voluptate afficiet, habes illas *beatissimo* inscriptas *nomini*, communique parenti christiani orbis, supremo ac universali pastori, et sacrosanctæ Ecclesiæ summo rectori dicatas, dedicatasque; cujus ante biennium tu quidem iterato aspiciendi, admirandique, ego vero et alloquendi, et venerandos osculandi pedes felicissima, ut meministi, sorte gavisus uterque sumus. Ut vero operis mei in quinque distributi libros, quod majore, quam existimari a te solet, labore contentioneque stetit, institutum cognoscas breviter, perspicueque; commentariolum, quod vides, exaravi, quo et consilii mei explicatam rationem, et innumerabilium rerum ordine digestarum adumbratam formam reperies, ea nempe accuratione, qua ad conspiciendum velut uno obtutu juris naturalis et ecclesiastici publici

amplissimum campum juvari posse videbaris. Et quoniam longæ cohærentesque tractationes, de difficilibus præsertim atque a sensu remotis rebus, neque ætati nostræ, neque tuo, ut quidem ais, ingenio satis accommodatæ sunt; idcirco pluribus articulis membrisque distincta oratione utar, eo nempe pacto, ut non minore studio attentioneque scriptioni meæ insistas, quam disserentem audire me consuevisti, neque tam mandes memoriæ, quæ legendo acceperis, quam expendas ipse, et volvas animo, et quodammodo pervadas illa ingenii perspicacia, quam a natura nactus es singularem, et præstantissimis magistris usus, bonarum artium studiis mirifice adhuc excoluisti.

§. I.

Sitne opera danda disciplinæ naturalis juris.

Nequaquam verendum nobis est, Theophile, ut, qui in numero literatorum hominum haberi volunt, quorum innumerabilis nunc turba est, ii consilium a me susceptum investigandi naturæ jus, omnesque illius explicandi partes probent. Istiusmodi enim res est, quæ omnium ore celebratur scriptisque, et a nonnullis quidem hominibus tanto prædicatur opere, ut præ disciplina naturalis juris præstantissima venerabilium patrum volumina, virorumque doctissimorum de re morali commentaria aspernari, quodque effari horror est, ipsum propemodum Evangelium fastidire videantur. Atque utinam hi quidem, qua par est, solertia, veritatisque studio scrutarentur naturam rerum hominisque, neque naturalibus deessent explendis officiis; quam cito illis divini Numinis benignissima providentia sacrosanctæ religionis aditum patefaceret, longeque sublimiori ipsos collustraret luce! Nunc vero haud absimiles desidi, quem nosti, servo se præbent, qui unicum, quod obtinuerat, talentum defodit in terram, nullo quæsito lucro, ac ne ullo quidem negotiandi adhibito labore. *Serve nequam*, inquiet severus iudex, *ex ore tuo te*

judico; ipsius naturæ, quam jactitas, præcepto adstringebaris et inquirendi in veram religionem, et inventam arripiendi, et arreptam profitendi. Neque vero aut inveniendi opportunitas, aut arripiendi facultas, aut tempus deerat profitendi. Quæ quidem, Theophile, haud leviter a me tractata primo mox libro invenies. Illud nunc quæres, in eamne opinionem concedam, ut disciplinam naturalis juris necessariam ducam hominibus, dignamque commendatione illa, qua efferi a nonnullis solet. Ad quam ego interrogationem in hunc modum respondeo, ut disciplinæ genus hoc, quemadmodum ab institutione vitæ christianæ, aliisque scientiis segregatum, atque in hanc, quam præfert, formam redactum est, ad vitæ quidem honestatem, omnemque colendam probitatem nequaquam requiri putem; ad scientias vero sublimiores, ac jurisprudentiam inprimis rite pertractandas, parum abest, quin necessariam pronunciem naturalis juris, atque universarum ejus partium accuratam explicationem. Ultra igitur tibi progredi, Theophile, nunc videor, ac ipse alias affirmabam, qui ad percipiendam canonum disciplinam institutiones naturalis juris perutiles fore dixeram, necessarias non dixeram. At ego cedendum temporibus nunc dico; quamquam ne id quidem magnopere probari tibi sentiam, utpote novarum rerum minime cupido. Verum ut totum, quod sentio, perpendas, etiam atque etiam te hortor. Fuit, fuit illud tempus, quo sacræ auctoritati assurgerent homines nostri ea, qua oportebat, reverentia, neque obluctari auderent, quando sacri canones ad dirimendas, quæ inciderant, controversas causas proferbantur in medium. Ac tum quidem satis erat, jurisprudentiæ canonicæ studiosis, si sacræ antiquitatis regulas rite interpretari, atque ad proposita negotia accommodare nossent. Nunc vero ipsam impetunt non modo singularium canonum vim, sed Ecclesiæ canones sancientis auctoritatem, atque armis impetunt ex disciplina naturalis juris maxime petitis; quod quidem adeo non ignoras Theophile, ut ipse sæpenumero ingemueris.

Sic ergo cedendum temporibus reor, ut aliis atque aliis hostium Ecclesiae insultibus non idem perpetuo defensionis genus opponendum statuam. Jus philosophicum appetunt homines, idque literato orbi se donasse gloriantur scriptores non pauci; de ipsa adeo religione, juribusque sacris philosophari avent: civilis imperii majestatem obtendunt: boni communis publicaeque rei commoda ostentant, quibus nefas esse ajunt per canones impedimenta poni. Neque vero paucas excogitarunt artes, quibus justitiae ac veritatis speciem effingentes, sacrosanctae Ecclesiae potestatem concidant, et prope in nihilum redigant; *nexus* illos, quos perpetuo memorent, sacras inter et profanas causas, illud *cavendi jus*, ne quid ex rebus Ecclesiae detrimenti capiat respública, illa, quae nuncupant, *mixta* negotia, illa *adiaphora*, quae in religione inesse dicunt, illa *accidentalia* praelatorum Ecclesiae jura, necessitatem illam *mediorum ad finem*, jus illud *circa sacra*, quaeque sunt generis istius, ex naturali, publicoque jure depromi posse, ac debere censent, atque ita depromi, ut demonstrationibus confirmari queant, quae mathematica demonstrandi accuratatione haud inferiores sint. Hac igitur ex parte cum in veneranda Ecclesiae et canonum jura impressionem faciant scriptores tot, tantoque furore: paratam esse oportere defensionem, non, opinor, Theophile, inficiaberis.

§. II.

Jus philosophicum sacris Ecclesiae juribus infestum esse non potest.

Non sum nescius, omnem philosophiam, omniaque ejus inventa et cogitata, si modo philosophiae nomen sustineant, nihil religioni nostrae, nihil Ecclesiae detrimenti afferre posse; cum verum vero obesse minime queat. At enim philosophandi genus est quoddam fallax, implexum, captiosumque, de quo gravissima extat Doctoris gentium admonitio: *videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum*

traditionem hominum, secundum elementa mundi (1). Quo quidem nomine profanae scientiae ac *politices* elementa intelligi posse eruditissimus Calmetus docet. Neque vero ego nimium mihi arrogasse videbor, si ad jus philosophicum provocantibus, de hoc toto, quo uti solent, philosophiae genere respondere ac disceptare aggrediar. Meministi enim, Theophile, quantopere in philosophicis tractationibus, non illis solum physico-mathematicis, quae secundum Kepleri ac Newtoni felicia inventa corporum totalium vires mutuae, viriumque leges analytica inductione eruuntur, demonstranturque, sed in dialecticis quoque ac metaphysicis contemplationibus, et evolvendis notionibus, et inquirendis idearum originibus, animique cogitatis, tanquam nucleo a cortice verborum disjungendo, et vocabulorum dispellendis ludibriis desudaverim; cujus laboris, etsi tum haud satis providerim, amplissimum nunc fructum capio, ut poenitere me neque eorum studiorum, neque scriptorum debeat. Ac ne calumniae in me impingendae via pateat, illud etiam atque etiam profiteor, non de singularibus me factis agere, ab utraque potestate provenerint, ecclesiastica, aut civili; sed totum id, quod commentatus sum in institutionibus meis, ad generales pertinere sacrorum jurium theorias, quas scriptores quidam hodie proferunt, principiaque illa, quibus confirmare easdem student, examinanda. Facta enim singularia sexcentis fere implicata adjunctis, atque obvoluta sunt, dein arcanis etiam rationibus saepenumero imbuta, de quibus desipiri ac pronunciarum cum ab homine privato non debeat, ob eandem, quam memoravi causam, vix ac ne vix quidem possit. At si universe de sacris juribus statuam scriptores, easque per generales constringant regulas, tum sane tentemus hasce regulas, et dijudicemus: si civilis status, imperiique finem, si publicam felicitatem nominent, dispiciamus hosce fines, quos hominibus natura proposuit, constituamus finium ordinem, ordinum gradus designemus, aptasque iis tenendis

(1) Coloss. II, v. 8.

gradibus expendamus rationes : si profanarum sacrarumque rerum nexum memorent ; cujusmodi is nexus sit, quorsum pertineat, quid juris pariat, ponderemus : si adiaphora appellent, quæ in exercenda religione insunt, figamus sane notionem ejus, quod adiaphorum est : si substantialia, quæ vocant, Ecclesiæ jura ab accidentalibus disternari volunt, videamus, an exeri omnino substantialia queant, ut nihil insit, quod non continuo accidentale nuncupent ; universe autem cæveamus diligenter, ne tritis jam verbis, atque inanibus aut ambiguis vocabulis illudi nobis patiamur.

§. III.

Imo proficuum est, si recta via atque ordine tractetur.

Sed me illud docuit rerum philosophicarum tractatio, nihil esse ad refellendas falsas hypotheses efficacius, nihil ad veritatem patefaciendam aptius, illustriusque, ac similium phænomenorum inductio, quam vocant, similiumque legum et causarum confirmata complexio, quam *analogiam* naturæ nuncupant, ac demonstrandæ ejusdem nativæ simplicitati, veritatique legum et causarum maxime consentaneam esse uno ore censent omnes, qui non penitus aliena loquuntur, philosophantes. Atqui in hac quoque philosophiæ parte, quæ mores hominum actionesque regit, eadem sane et inductio similium casuum, decisionumque, et confirmata ex iis jurium complexio, et analogia justitiae et æquæ, et naturalium principiorum legumque simplicitas perinde, ni fallor, ac alia quavis parte locum habet. At nempe huic tanti momenti veritati perspiciendæ satis non est, fragmenta duntaxat quædam de jurisprudentia naturali decerpisse, ac particulas aliis atque aliis delibatas locis, nullo coherentes nexu, nulla principiorum consensione, nulla deductionum similitudine comparata, degustasse, nisi universa inde a primis naturæ fontibus derivata series et continuata progressio jurium et obligationum habeatur præ oculis, animoque attento et a perturbationibus

libero expendatur,volvaturque ex omni parte, ac figatur in mente, firmiterque teneatur. Quæ inter homines geruntur quocunque statu, seu primigenium quis cogitet, seu adventitium et socialem, ipsum adeo civilem inter binos cives, communi eos quidem imperio subjectos, libertate tamen civili inter se gaudentes, quæ denique inter gentes aguntur ceu morales personas liberas, alteram ab altera independentes, eadem prope sunt negotia, iisdem dirigenda juribus, nempe ad animum, ad corpus, ad res externas, quæ nobis adhærescunt quodammodo, pertinentia. Vide, Theophile, unde similitudo casuum, factorum, controversiarum proveniat, quæ non potest non similia jura, similes decisiones, juriumque ac decisionum similia principia continere. Atque in his *jurium analogiam* sitam arbitror, ut similibus casibus, factis, controversiis, quacunque hominum societate, aut jurisprudentiæ parte occurrentibus similia principia, jura, pronunciata respondere putem. Age nunc, et catholicum de ecclesiastica et politica potestate systema in memoriam revoca, utraque summa in suo genere, ut ajunt, neutra dependente ab altera. Quæso te, illas eodem tempore recole argumentandi formas, quas scriptores nostri, qui catholico se systemati addictos profitentur, identidem adhibent, et prope ad nauseam recoquunt, illum nexum, inquam, illud cavendi jus, illa mixta negotia, illam mediorum ad finem necessitatem, illa adiaphora, accidentalia etc. ac si istiusmodi argumentandi formas neque inter privatos homines primæva libertate aut civili fruentes, neque inter societates aut minores in statu anarchico, aut maximas perfectasque, inter diversas nimirum liberasque gentes ullam habere locum, usumque vides; qualem eadem inter sacram Ecclesiæ, politicamque civitatis potestatem vim habere usumque possint, confice: ac si dein eadem argumentandi formæ ad singulares personas vel morales applicatæ, ad absolutum vel hypotheticum statum, ad minores societates vel maximas adhibitæ, nihil sane nisi Hobbesianum bellum gignerent; quid de

usu earundem adversus sacra Ecclesiae jura cogitabis, quid decides, quid pronuntiabis? Atque hoc est, mi Theophile, in quo pervestigatis naturae principis, et originibus naturalis juris repertis, indeque derivata conclusionum serie, deducto officiorum ordine, factaque casuum, jurium, decisionum comparatione, atque inventa jurium analogia merito demum exultaret ac triumpharet oratio mea.

§. IV.

Expenduntur alia commoda ex disciplina naturalis juris provenientia.

His quidem nunc indicatis, quae temporibus tantum accommodata sunt, aliae praetermitti non debent ingentes utilitates, quae ex institutione naturalis juris a primis naturae fontibus ducta, perpetuoque doctrinae ordine continuata in discipulos proficiscuntur. Saepe cum viris doctis de optimo institutionis genere sermonem habui, saepe de copia et varietate tractandarum rerum, de brevitate angustiisque non solius temporis, sed humani quoque ingenii collocutus sum. Atque ego quidem, iis minime dissentientibus, in eam semper abii sententiam, ut nihil scientiarum candidatis optabilius, atque ad faciendos, quam fieri potest, progressus maximos accommodatius statuerem, quam si de proposita sibi facultate praemanibus haberent librum, in quo rerum, quas ex ore doctoris excepturi essent, brevis illa quidem, at accurata tamen, satisque perfecta descriptio contineretur, ordine digesta, justa proportione, aptoque nexu partium concinnata, ut inde arrepta disciplinae, omniumque ejus partium distincta cognitione, animoque infixata, si qua deinceps ad eandem pertinentia disciplinam occurrerent, ea ad proprias referre sedes, certisque velut locis asservare possent; quo fieret, ut novarum cognitione rerum non obrueretur mens, sed excoleretur, nec obscurari possent antea haustae notitiae, sed perfici, locupletari, extendi. Ac jurisprudentia qui-

dem naturalis non ea est facultas, quae coacervatis aliarum disciplinarum doctrinis constet, et alienis quasi laciniis ac centonibus compacta sit; sed ipsa suas radices habet, sua germina, suos flores et fructus: ipsa per se quodammodo subsistit, non inhæret in alia scientia: suis nititur principiis, suas profert conclusiones, nihil ex aliis mutuatur; sed mutuum aliis dat disciplinis, ut adeo, si qua existit jurium ambiguitas, aut si qua gravior in scholis controversia agitur, ea vix habeat exitum, nisi dirimente naturali jure, aut certe quidem consilium, ac velut lumen subministrante; id quod multis comprobare exemplis difficile haud est. Multa quidem, Theophile, de genuina interpretatione legum, ipsisque ad propositas quaestiones rite applicandis acute excogitata sunt a viris sapientibus, et animadversa; sed praeterquam quod ipsae illae interpretandi regulae naturalem maxime aequitatem sapiant, exhibeantque, tum nec usum satis tutum sine ductu naturalis juris habere mihi videntur. Atque hi institutionis, de qua agimus, uti praecleari fructus sunt, minimeque contemnendi; ita ad exquisitam comparandam doctrinam, qualem depravatio postulat aetatis nostrae, plane necessarii censi debent. At nempe spes non est, eos proventuros in audientium animis, nisi vagam coerceant librorum lectionem, nisi inde a principiis ad omnes ejusdem institutionis partes certa via et ordine procedant, nisi nihil leviter transilient, nisi insistant in singulis disciplinae capitibus, ea animo comprehendere studeant, in iis exerceantur. Quapropter cavendum est diligenter, ne singularibus quibusdam ambiguarum quaestionum disceptationibus ita distineantur, ut praecedentium cognitionum, atque earum, quae consequi debent, nexus abruptatur, atque inceptus cursus ea, qua necesse est, aequabilitate ad finem perducere haud queat. Si pugandum est, extra castra efferantur signa, ne turbetur ordo castrorum. Non enim is ego sum, qui omnes exercitationes, disputationesque reprehendam, sed eas demum, quae continuatae institutioni impedimento sunt,